



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Sectio I. An, & quando confessio externa fidei, sit actus fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

gnitionem præceptorum decalogi ex præcepto necessariam esse. Hurtado etiam in præfati dicta disp. 44. §. 13. dicit, teneri singulos credere decem præcepta decalogi. Verum cum statim addat, & quinque Ecclesiæ, non constat, an loquatur de fide diuinæ, cum quinque Ecclesiæ præcepta non sint à Deo reuelata. Clariùs videtur loqui Lorca dicta disp. 23. membr. 1. n. 19. vbi cum de præcepto fidei explicite agat, dicit, *necessarium esse cognoscere, & credere decalogum, & præcepta communia omnibus*. Alij tamen non explicant obligationem credendi per actum fidei diuinæ circa decalogum, sed dicunt esse obligationem sciendi præcepta decalogi. Sic loquitur Sanchez dict. c. 3. n. 10. Azor. tom. 1. lib. 8. c. 7. q. 5. dicens sufficere, si rusticus rogatus, an furtum, periurium, &c. licita sint, respondeat, non esse licita, quia suapte natura sunt mala, & sic cætera sciat, eodem modo loquitur Coninch. dicta disput. 14. dub. 10. n. 193. & Valentia disp. 1. q. 2. puncto 5.

166

Ego iuxta ea, quæ dixi dicta sect. 2. distinguendum puto: aliqua enim præcepta sunt naturalia, quæ Deus in sacris litteris non solum reuelauit; manifestando eorum obiecta naturali iure esse debita, vel prohibita, sed etiam denuo præcepto suo corroborauit, quod præceptum omnibus intimari voluit, qualia fuerunt præcepta decalogi, quæ Deus lege communi denuo lata promulgauit: alia verò sunt quorum obligatio in diuinis litteris inuenitur reuelata, non per modum præcepti denuo additi, sed per modum doctrinæ, prout in epistolis Pauli Apostoli inueniuntur commemorata cum detestatione aliqua peccata contra legem naturæ, vt fideles ab iis caueant. Quamuis ergo de præceptis prioris generis concedatur debere ea credi per actum fidei explicite ob rationem dicta sect. 2. assignatam, non est tamen necesse id etiam concedere de præceptis generis posterioris. Et quidem si semel ea obligatio concedatur circa præcepta Decalogi, & aliqua omnibus fidelibus communica, non video cur non debeat idem dici de præceptis non communibus, sed spectantibus ad aliquos fideles in particulari, vt ab his saltem debeant etiam fide diuina credi. Na sicut reuelatio Dei de præcepto communi ordinata ad omnes fideles, vt iis ex parte Dei tale præceptum intimetur, exigit ab omnibus fidelibus auditum, attentionem, & fidem illius præcepti, quia Deus illis omnibus determinatè loquitur, & vult ab omnibus illis audiri; ita præceptum à Deo latum pro aliquo hominum genere, vt ab iis obseruetur, & illis intimetur, exigit ab illis similiter auditum, attentionem & fidem talis præcepti. Alia verò est ratio de præceptis secundi generis, quæ in Scriptura solum commemorata inueniuntur, & non lata, sed supposita: nam tunc eorum obligatio narratur solum ibi, sicut alia, quæ in eadem Scriptura ad instructionem, & abundantiam doctrinæ narrantur: non tamen videtur eorum notitia ex eo præcisè capite, quod in Scriptura contineatur, specialiter obligare, sed solum quatenus præceptum quoduis naturale obligat ad sui notitiam, vt possit obseruari. Cum enim tunc Deus non vtatur verbis præcipiendi, aut promulgandi legem, quæ subditis intimetur, sed solum se gerat, vt magister docens subditos ea, quæ aliunde ipsi scire debebant, & hoc ad maiorem doctrinæ abundantiam; non videtur tunc obligare singulos, vt attendant & audiant, sicut non obligat in alijs, quæ in ea-

dem Scriptura narrantur, Et hæc sufficiunt de obligatione ad actum internum fidei. Nunc dicamus de eius actu externo, qui est confessio, seu professio externa eiusdem fidei.

DISPUTATIO XIV.

De actu externo, seu de confessione fidei externa, & eius obligatione.

- SECTIO I. An, & quomodo confessio externa fidei sit actus fidei.
- II. Quale sit præceptum non negandi exterius fidem.
 - III. An circa negationem externam fidei in re parui momenti possit dari peccatum veniale.
 - IV. Quale sit præceptum affirmatiuum confessionis fidei.
 - V. De visu vestrum, actionum, rituum, ciborum, & aliorum quæ propria sunt infidelibus, an, & quomodo sit contra virtutem fidei.



Ostquam egimus de actu interno fidei, tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem, sequitur, vt de eius actu externo dicamus: de quo in primis videndum est, an, & quo sensu sit actus fidei, deinde, quando, & quomodo sit sub præcepto, in quo puncto quàmplures, & grauissimæ quæstiones morales comprehenduntur.

SECTIO I.

An, & quomodo confessio externa fidei sit actus fidei.

Affirmant communiter Theologi, confessionem fidei externam esse actum fidei, cum S. Thoma in præfati q. 3. art. 1. Quæ conclusio probari potest à contrario: quia negatio fidei externa est propriè actus infidelitatis, & aduersatur fidei, & punitur ab ecclesiâ penis & censuris tanquam peccatum commissum contra fidem: ergo fides ipsa prohibens infidelitatem prohibet negationem externam fidei, & inclinatur ad eiusdem fidei confessionem externam.

Cæterum hæc communis doctrina difficultatem habet non exiguam. Difficile enim est explicare, quomodo confessio fidei externa oriatur à virtute fidei tanquam eius actus, nam in primis non videtur esse posse actum fidei elicitem, cum habitus fidei nõ concurrat immediatè ad loquutionem externam, sed potentia motiva hominis neque etiam videtur posse esse actum imperatum à fide, quia assensus fidei est in intellectu, & non habet pro obiecto loquutionem externam, sed mysterium creditum, vnde non potest loquutionem imperare: Tum quia intellectus non imperat immediatè actus potentiarum exteriorum, sed voluntas, vt suppono: tum etiam, quia dicto, quod

quod intellectus imperaret eiusmodi actus externos, id tamen fieret per actus habentes pro obiecto ipsam actionem externam, quæ imperatur quales non sunt actus fidei, qui certe non habent pro obiecto motum laborum, sed mysteria reuelata, & diuinam auctoritatem, ac reuelationem, quod est motuum credendi.

Theologi præsertim recentiores hanc difficultatem senserunt, & varias rationes assignant, vel variis modis rationem explicant huius communis assertionis. Prima aliquorum ratio est, quod confessio externa est actus fidei, quia procedit ab ipsa fide, quatenus connaturale est homini conceptum internum exterius propalare, & ipsamet conceptus ad hoc instigat. Hoc argumento vtitur Lorca *disput. q. 3. art. 1. in communivario articuli n. 2.* ubi hanc rationem breuiter attingit, & posset explicari, & confirmari magis, quia ideo ex dolore, vel vulnere, quod sentis oriuntur suspiria, & gemitus, quibus dolorem internum significas, quæ quidem suspiria non eliciuntur, nec imperantur ab amore sanitatis, cum non deseruiant ad eam acquirendam; sed supposito illo dolore, naturaliter procedunt propter propensionem significandi exterius sensum internum. Quod adeo connaturale videtur homini esse, ut etiam nobismet ipsis interius manifestemus sensum, & voluntates nostras, formando ferè semper interius voces aliquas idiomatis nobis magis familiaris quibus nostrum sensum, vel affectum exprimimus, quæ vocum internarum efformatio procedit sanè ex nostris sensibus, vel affectibus, quos exprimimus. Sic ergo assensus internus fidei ex generali illo appetitu inclinatur ad sui manifestationem externam; quæ loquor, & manifestatio appellatur externa propter dependentiam ab interna; Quo sensu intelligi potest illud psalmi 115. *Credidi propter quod loquutus sum*, quæ verba afferuntur etiam ab Apostolo 2. ad Cor. 4. & addit, *Et nos credimus, propter quod, & loquitur.* Nam sicut vrina dicitur sana, quia in ea agnoscitur sanitas interna, tanquam in effectu procedente à sanitate interna; sic confessio fidei dicitur fides, quia est signum fidei internæ, à qua procedit.

Hæc ratio plausibilis fortasse apparebit; sed reuerà non videtur satisfacere: retorqueri enim potest cum videamus id non sufficere in aliis materiis, ut verba externa dicantur simpliciter actus alicuius habitus, vel virtutis; nam quando dicis, te velle ieiunare, vel dare elemosynam, illæ voces externæ non sunt temperantia, vel misericordia, sed manifestatio tuæ voluntatis circa eas virtutes, ad quarum finem non conducit dicere, te velle ieiunare, vel dare elemosynam: quamvis ergo ex abundantia cordis os loquatur, & ideo in voces illas prorumpas, quia taliter affectus es, non tamen id satis est, ut testificatio tui adulterij dicatur actus illius virtutis: & per consequens nec testificatio externa fidei internæ dicitur ex hoc capite propriè actus ipsius fidei.

Secunda ratio aliorum est, quia confessio externa, & assensus internus ordinantur ad eundem finem, nempe ad eandem veritatem, quam sicut per internum assensum credimus, ita per confessionem externam significamus. Ita arguit Valentia in *presenti diff. 1. quest. 3. puncto 1.* Hæc etiam ratio difficilis est; quia si sermo sit de fine intrinseco, hic non est veritas, quæ creditur; nam per assensum fidei circa Pilatum non intenditur Pilatus, sed eius notitia, & perfectio, quam ta-

Card. de Lugo, de virtute Fidei diuine.

lis notitia affert intellectui, neque etiam per confessionem externam intenditur obiectum, imò nec assensus internus, sed manifestatio eiusdem assensus interni, cuius notitiam aliis communicare intendimus. Sicut non est idem in rigore finis magistri discipulis, & docentis; nam discendo intendit ipse scire, docendo verò intendit, ut discipuli sciatur: qui duo fines non pertinent ad eandem virtutem propriè: neque enim est castus, qui aliis castitatem prædicat, cum ipse impurissimus sit, nec est liberalis, qui aliis liberalitatem persuadet, cum sit ipse auarissimus. Sic ergo, qui fidem suam internam aliis prædicat, & persuadet, non ideo est fidelis, nec exercet proprium actum fidei.

Tertia ratio, quæ idem Valentia vtitur, est, quia proportio vocalis externa, & assensus fidei internus inniuntur eadem ratione formali, nempe reuelatione Dei, quæ niti etiam debet confessio externa, propterea vera est, & laudem meretur. Hæc etiam ratio difficilis est, quia confessio exterior, sicut non est assensus, sed manifestatio assensus interni, ita non habet propriè motuum assentiendi, sed ad summum manifestat motuum assensus interni, qui solus habet motuum. Vnde neque etiam quatenus vera, confessio externa habet pro motuo reuelationem Dei. Imò propriè, & in rigore loquendo, non datur motuum propositionis, ut vera est, sed solum ut est assensus; nam veritas propositionis est conformitas cum obiecto affirmato; atque ideo solum provenit ex veritate obiecti: motuum autem non mouet, ut propositio sit vera, sed ut nos assentiatur tali obiecto: nam licet Deus non reuelasset incarnationem, si tamen incarnatio facta esset, propositio illam affirmans esset vera: ad veritatem ergo non requiritur motuum, sed ad assensum, ut assensus est. Denique minus potest esse verum, quod in illa ratione additur, confessionem externam, propterea laudem meretur, habere idem motuum reuelationis diuinæ: quia confessio externa, propterea laudabilis est, & honesta participat solum honestatem, & laudabilitatem extrinsecam à voluntate honesta & laudabili, à qua imperatur; voluntas autem imperans, quæcumque illa sit, non potest habere pro motuo reuelationem, quæ solum potest esse motuum intellectus, cui persuadet veritatem rei reuelatæ; voluntas autem debet habere pro motuo honestatem, quæ apparet in confessione fidei internæ: non potest ergo habere reuelationem pro motuo, sed aliquod bonum honestum, quod sit motuum voluntatis imperantis fidei confessionem.

Alij ergo dicunt, confessionem fidei esse fidei actum, non quidem fidei, prout pertinet ad intellectum; sed prout pertinet ad voluntatem; cum enim fides ut virtus includat habitum intellectualem, à quo elicitur assensus, & habitum etiam piæ affectionis in voluntate, à quo elicitur voluntas credendi, ille poterit etiam dici propriè actus externus fidei, qui oritur ab habitu voluntatis, qui pertinet ad eandem virtutem fidei, ita fateatur Hurtado in *presenti diff. 48. sect. 1. §. 8.* Porro in confessione externa fidei reperiri honestatem, quæ ametur ab habitu piæ affectionis, explicat dupliciter idem Hurtado §. 9. & in primis dicit, illam non esse honestatem veritatis, ut voces conformemus menti, sed aliam honestatem nempe ut cum aliis communicemus in veritate fidei, & propter conseruationem eiusdem unitatis. Hoc tamen subsistere non potest: quia motuum

Gg 3 rium

tuum proprium piæ affectionis, non est conseruatio unitatis fidei, cum aliis fidelibus: nam licet maneret, vel fuisset vnus solus homo, in mundo, deberet credere fidei articulos sibi sufficienter à Deo immediatè, vel per Angelos propositos; & tunc motuum voluntatis non esset communicatio fidei cum aliis fidelibus, sed reddere diuinæ auctoritati cultum debitum intellectualem.

7 Ideo fortasse idem Auctor *ibidem* aliam rationem dederat §. 7. dicens, confessionem externam imperari à piæ affectione propter eandem honestatem assensus interni, quia amatur, vt signum articuli crediti: quare ratio, inquit, amandi actionem externam non est sola convenientia ipsius, sed etiam amatur, quia creditus est articulus. Vnde concludit, quod articulum esse creditum, non est sola conditio sine qua non amaretur externa confessio per affectionem piam, sed est ratio formalis amandi. Sed contra hoc virgare videtur, quod non apparet, quomodo bonitas assensus interni sit ratio formalis amandi confessionem externam: nam assensus internus non est finis confessionis externæ, sed potius est medium ad illam: medium autem non communicat honestatem finis, sed etiam potius accipit à fine: quomodo ergo confessio externa accipit suam honestatem ab assensu interno: sed neque potest eam accipere sicut actio externa: quia confessio externa non imperatur ab assensu interno fidei, sed à voluntate honesta manifestandi fidem internam. Quare adhuc indigere videtur explicatione modus, quo confessio externa potest participare ab assensu interno honestatem, & bonitatē, propter quam amatur, & imperatur ab eodem habitu piæ affectionis. Imo idem Hurtado tandem §. 10. in fine fatetur, posse facillimè defendi, quod confessio externa pertineat ad aliam virtutem, cuius obiectum formale sit ipsa honestas confessionis externæ, quæ distincta sit ab assensu interno.

8 Aliam denique rationem indicat Lorca *ubi supra* n. 2. in fine dicens, confessionem externam pertinere ad eandem virtutem fidei, quia confessio externa per se non habet alium finem magis intrinsecum, & proprium, quam vt veritas fidei, cui credendo adhæremus firmior sit, & omnibus conspicua. Sed contra hoc est, quia vel intenditur per fidei confessionem, quod assensus fidei sit firmior apud nos, vel solum quoad alios, apud quos ex nostra Confessione fides propagetur. Primum non est ad propositum, cum testificatio externa rei non sit apta ad faciendam fidem ipsi asserenti, sed potius eius assensum supponat. Secundum verò non pertinet ad obiectum formale fidei, quia sicut temperans non est, qui alios vult esse temperantes, sed qui in se ipso temperantiam sciat, ita non est fidelis, qui aliis fidem persuadet, sed qui ipse fideliter credit quod Deus reuelat.

9 Ego libenter admitto, confessionem externam fidei esse verum, & proprium eiusdem fidei actum, quatenus per se, & propriè imperatur ab eodem habitu piæ affectionis, à quo imperatur assensus fidei internus. Ad quod asserendum, præter communem auctoritatem adduci possunt duæ rationes, quas breuiter indicauit S. Thomas *dist. 9. 3. articulo 1. in corpore*, & easdem fortasse in sinuare voluerunt plures ex citatis Auctoribus, & eas etiam reddere videtur Suarez *in presenti disp. 14. sect. 1. num. 7.* primam indicauit S. Thomas dicens; Confessio autem eorum, quæ sunt fidei, secundum

nam suam speciem ordinatur sicut ad finem ad id quod est fidei. Quod ego ita explico: finis proprius, & honestus quem intendit, & respicit piæ affectio imperans fidei assensum, est cultus, & reuerentia debita veritati diuinæ aliquid testificanti, cui sine grauisissima irreuerentia non possumus dissentire, vel assensum non præbere, id enim cederet in contemptum grauem diuinæ auctoritatis, cuius excellentiam ipso assensu firmissimo profitemur, vt vidimus supra agentes de obiecto piæ affectionis requisitæ ad credendum: hoc autem bonum, & hæc eadem honestas formaliter loquendo reperitur in confessione externa fidei. Nam excellentia veritatis diuinæ eadem est, cuius cultum intendit voluntas imperando assensum fidei, & capiundo intellectum in eius obiectum ad vitandam irreuerentiam, quæ diuinæ veritati inferretur, dissentiendo, vel non assentiendo eius dictis, vt diximus loco citato. Cederet autem in grauisissimam irreuerentiam eiusdem diuinæ veritatis negare exterioris fidem obiectis à Deo reuelatis: sicut è contra cedit in cultum, & reuerentiam eiusdem eorum obiectum veritatem palam confiteri, & profiteri ad eundem ergo habitum voluntatis pertinet vtrumque; actum imperare, & amare. Nam licet cultus, qui Deo tribuitur per confessionem externam, distinctus sit à cultu, qui tribuitur per assensum internum, illa tamen differentia est materialis, & non impedit, quod possit vterque cultus imperari, & amari ab eodem habitu voluntatis. Sicut habitus, quo colimus Regem non solum potest imperare, & velle genuflexionem, & alia signa seruitutis erga Regem, sed etiam, ubi in vfu esset, scripto publico fateri, se Regi genuflexisse, & alia signa seruitutis exhibuisse, quod etiam scriptum esset signum summisionis, erga Regem, & actus reuerentiæ debita: posset idem habitus velle, & imperare hoc testimonium, & hanc scripturam cum hæc etiam cedant in reuerentiā Regis propter eius excellentiam, & dignitatem Regiam, quod est motuum illius habitus. Sic ergo idem habitus piæ affectionis, quo propter reuerentiā debitam diuinæ veritati ob eius auctoritatem, & excellentiam, volumus ei firmissimè credere, potest ex eodem motu deferuire, vt velimus hanc firmam fidem manifestare, cum hæc etiam manifestatio sit cultus, & reuerentia debita Deo ob eandem eius veritatem, & auctoritatem infinitam: quod multo magis locum habere potest in habitu infuso, cuius sphaera latius multò pater, quam sphaera habitus acquisiti, vt sæpè diximus, & omnes concedunt & hæc est prima & præcipua ratio conclusionis.

Secunda ratio & minus principalis ad hoc ipsum probandum esse potest, quam indicat idem S. Thomas eodem loco, quod scilicet exterior loquutio ordinatur ad significandum id, quod in corde concipitur. Vnde sicut conceptus interior est, quæ sunt fidei, est propriè fidei actus, ita etiam, & exterior loquutio. Quam rationem ego sic intelligo, & explico: quilibet habitus voluntatis extendi potest per redundantiam quamdam ad ea omnia obiecta, quæ aliquo modo participant etiam extrinsecè bonitatem & motuum principale illius habitus, propter quod primum obiectum amatur, vel attingitur. Sic charitas amat Deum, & homines etiam, quia imagines sunt Dei, & ad Deum attinent, & hoc propter bonitatem ipsius Dei, quæ licet non sit in hominibus, sufficit tamen illa attinentia ad Deum, & ille titulus, vt

amari possint propter bonitatem Dei. Sic amici propter bonitatem amici, quem diligit, amat eius etiam famulos, & alia, quæ ad amicum pertinent. Sic habitus latriæ, vel doliæ inclinatur ad colendas imagines Christi, vel Sanctorum, quorum imagines sunt. Quid ergo mirum, quod habitus piæ affectionis, qui amat assensum fidei internum propter eius bonitatem, amet etiam confessionem externam, quæ est imago, representatio, & manifestatio assensus interni, & hoc propter bonitatem eiusdem assensus interni, cuius externa confessio, imago, & representatio est? Quare non solus assensus internus, sed etiam confessio externa poterit per redundantiam ab eodem habitu piæ affectionis imperari à quo amari potest propter bonitatem eandem fidei internæ. Hanc rationem videtur etiam indicare Hurtado ubi supra §. 7. & 8. dicens confessionem externam amari ut signum assensus interni.

11 Obiectio 1. Obiici potest primo contra primam rationem à nobis adductam; quia si in ipsa externa fidei confessione apparet honestas obiectiva, & cultus veritatis, & in ipsa negatione externa fidei prout distincta à dissensu interno apparet turpitudine, & irreuerentia gravissima contra eandem Dei veritatem, consequens est, ut negatio externa etiam sine dissensu interno sit peccatum externum contra fidei virtutem, quare ad incurrendas penas ecclesiasticas non erit necessarius dissensus internus, sed sufficit negatio externa, quod tamen Theologi communiter non concedunt: Respondeo loquendo de possibili, non dubito quin poterit Ecclesia punire censuris, & aliis pœnis ecclesiasticis negantem exterius fidem etiam si interius eam mente retinet; quia illa negatio est peccatum externum gravissimum contra præceptum divinum confitendi fidem: & certe olim in Ecclesia pœna non levis erat negantibus ex tormentorum metu fidem apud iudices infideles, qui tamen sepius solum exterius fidem negabant, ut tormenta, vel mortem vitarent, quam tamen fidem interius non negabant. De facto tamen Ecclesia non puni excommunicatione propter solum actum externum sine defectu interno assensus debiti, quia has pœnas imponit hæreticis, vel apostatis, &c. quibus nominibus non significatur, nisi qui à Catholica fide discedit; non dicitur autem discedere, qui eam mente retinet, licet exterius ostendat, & fingat se discedere: ideo de facto eiusmodi pœna non incurruntur propter negationem fidei solum externam sine defectu interno, quamvis potuissent incurrere propter negationem solum externam culpabilem, si eam etiam voluisset eo casu Ecclesia punire.

12 Obiectio 2. Secundo obiici potest contra eandem rationem, quia si in confessione ipsa externa fidei reperitur eadē honestas, & bonitas obiectiva, quam habitus piæ affectionis intendit, & in negatione fidei externa reperitur irreuerentia gravis contra Dei veritatem, quem idem habitus piæ affectionis intendit vitare; ergo negatio fidei externa etiam sine dissensu interno erit verum peccatum directè contra fidei virtutem, atque adeo erit peccatum infidelitatis sufficiens, ut perdatur habitus fidei infusus, qui solo infidelitatis peccato amittitur. Cur enim magis Deus auferet habitum fidei infusum propter dissensum internum sine actu externo, quam propter negationem fidei externam sine dissensu interno, cum utrumque pecca-

tum opponatur secundum propriam malitiam virtuti fidei: Respondeo, rationem petendam esse ex dicendis infra disp. 16. sect. 3. Potuit quidem Deus iustissime habitum fidei infusum tollere propter negationem externam fidei fictam, imò & propter quodlibet peccatum mortale, sicut auferet habitum gratiæ, & charitatis, & aliarum virtutum præter fidem, & spem; de facto tamen voluit remanere habitum fidei, ut peccator habeat principium permanens intrinsecum, ut se ad iustificationem disponat, & eliciat fidei actus, sine quibus se disponere non potest. Non tamen manet hic habitus posito dissensu interno graviter culpabili contra fidem, quia non manet homo in statu habituali credendi, quandiu dissensum illum per actum contrarium non retractat; & quia homo abiicit à se ipsum habitum, nolendo eius usum, & Deus sicut non dat hæc dona habitualia adultis nisi volentibus, ita non conservat in nolentibus & inuitis; ideo non oportebat conservari habitum ad actus, qui in eo statu fieri non possunt, quandiu illa voluntas habitualiter perseverat non retractata. Posita autem sola negatione externa fidei etiam culpabili, non auferitur habitus, quia adhuc manet homo in statu habituali credendi, & frequenter eliciat actus fidei internos, ad quos habitus concurrat. Posito autem dissensu interno, non manet status habitualis eliciendi actus fidei, vel piæ affectionis; quia quamvis possit in eo statu confiteri fidem exterius, illa tamen confessio non imperabitur à virtute fidei, nec ab habitu piæ affectionis; est enim confessio ficta, & mendax, & ideo non potest habitus piæ affectionis imperare talem confessionem externam, & per consequens maneret otiosus in eo statu, cum tamen post negationem fidei externam fictam non maneat otiosus, sed utilis ad actus fidei internos, qui adhuc in eo statu frequenter eliciuntur, de quo dixi etiam supra disp. 16. de Panis, sect. 4. n. 194. & sequentibus. Denique licet hoc peccatum negationis fidei externæ opponatur virtuti fidei, ut diximus, non tamen ideo dicendum est, simpliciter peccatum infidelitatis quando mente retinetur vera fides: quia infidelitatis nomen non tribuitur omni peccato gravi, quod fidei contrarium sit, ut cum aliis notavit Suarez infra disp. 16. sect. 1. num. 2. sed est nomen privativum significans illud peccatum, quod privat fidem, quia nimirum tollit fidem ab intellectu, quod non habet negatio externa fidei ficta, cum possit adhuc in intellectu manere vera fides. Quare dum in Tridentino sess. 6. c. 15. dicitur, per infidelitatem fidem ipsam amitti, non vero per quodlibet aliud peccatum mortale, sermo est, non de peccato quocunque contra fidem, sed de illo solum, quod simpliciter & propriè appellatur infidelitas, quale non est negatio sola externa fidei. Vnde non est intelligendum, ut sonat, sed piè interpretandum, quod dixit. Auctor imperfecti in Matthæum homil. 25. non habere in corde fidem illum, qui exterius eam negat. Debet enim intelligi, vel per exaggerationem, ut voluit Granado in præsentis tract. 11. sect. 1. n. 1. vel quod non habeat fidem perfectam, vel fortasse melius, quod non habeat fidem in corde, id est, pon eam amer eo affectu, quo deberet; si enim eam pro dignitate amaret, non erubesceret illam profiteri, sicut nec serius erubescit profiteri dominum suum, quem ex corde diligit, & quem plurimi facit.

13
Obiectio 3.

Tertio oblici potest contra secundam rationem, quia si habitus piæ affectionis amare potest confessionem externam fidei, quia est imago, & representatio assensus interni, quem amat, poterit etiam habitus temperantiæ amare verba, quibus homo significat se ieiunare, & iustitiam amare verba, quibus homo dicit, se restituere, & sic de aliis, quia hæc etiam verba externa sunt signum representans ieiunium, & restitutionem, ut obiecta, quæ eadem obiecta amantur à temperantia, & iustitia, & sic de aliis. Item eodem modo habitus piæ affectionis meus poterit amare verba, quibus alius homo dicit, me habere fidem, & credere eius articulos: nam illa etiam verba sunt representatio meæ fidei internæ, quam per habitum piæ affectionis amo. Propter hæc dixi supra secundam rationem esse minus principalem, & ostendere solum quomodo habitus piæ affectionis possit quasi per quandam redundantiam extendi ad volendam confessionem externam; primam verò rationem esse præcipuam, quæ declarat, quomodo directe, & per se possit pia affectio velle confessionem externam propter bonitatem, quæ in ipsa externa fidei confessione reperitur. Potest tamen secunda ratio utilis esse ad ostendendum quomodo etiam per redundantiam, & aliquo modo possit pia affectio extendi ad volendam confessionem externam, ut imaginem fidei internæ, & propter bonitatem ipsius fidei internæ, quæ solum extrinsecè afficit confessionem externam, sicut signum dicitur bonum à bonitate rei, quam significat. Ad exempla verò in contrarium adducta dici potest, alias etiam virtutes posse per similem redundantiam amare restitutiones, & imagines suorum obiectorum, quæ directe, & per se amant. Sic enim temperans, vel misericors gaudet de laudibus temperantiæ, vel elemosynæ à se, vel aliis exhibitis, & de illis gaudere quantum est ex eo capite, licet ex aliis capitibus non possint, eo quod restitutiones, & manifestationes eiusmodi periculum afferant vanæ gloriæ & minus puræ intentionis in operibus bonis. Quod tamen periculum regulariter cessat in manifestatione nostræ fidei à nobis, vel ab aliis facta, quia si fiat apud fideles, parum honoris ex hoc resultat; si verò apud infideles, vel hæreticos; timere potius poterit de honorario, aut vexatio propter illam confessionem. Denique aduerto, quando nostra fides, vel nostra temperantia, aut iustitia ab aliis manifestatur, licet manifestatio illa posset aliquo modo per redundantiam à pia affectione, aut aliis virtutibus, ex eo capite amari, ut diximus, non tamen dici actum fidei, temperantiæ, vel iustitiæ nostræ, cum illa manifestatio à nobis non procedat, sed ab aliis: confessio autem propria nostræ fidei dici potest fidei actus, quia procedit à nobis, & à virtute fidei, saltem quatenus includit habitum piæ affectionis, & prout fides pertinet ad voluntatem.

14
An decisio
dubij, an
fides sit actus
elicitus, an
solum impe-
ratus à vir-
tute fidei?

Ex dictis inferri potest primò decisio illius dubij, an confessio fidei sit actus elicitus, an solum imperatus à virtute fidei. Aliqui supponunt, esse actum elicitem; ita loquitur Lorca in Commentario dicti articuli 1. n. 1. & alij, quibus videtur favere S. Thomas illo art. 1 ad 3. sed controuersia est de vocibus. Hi enim auctores nomine actus imperati, intelligunt illum, qui imperatur ab aliqua virtute extranea, non propter honestatem obiectiuam, quæ per se, & directe inest tali actui imperato, sed propter finem alium, ut

quando penitentia imperat actus misericordiæ, & elemosynæ ad satisfaciendum Deo; tunc motuum formale imperandi non est honestas elemosynæ, & misericordiæ, sed totum hoc assumitur materialiter propter utilitatem, quam habet ad satisfaciendum pro peccatis, & placandum Deum, quod est motuum penitentia; quare elemosynæ largitio erit actus imperatus penitentia, respectu autem misericordiæ dicitur actus elicitus, quia fit à misericordia propter honestatem ipsam misericordiæ, quæ immediate respiceret in elemosynam, neque hæc eligitur ad finem alium alterius virtutis, in quo sensu actus aliorum virtutum dicuntur aliquo modo imperati respectu fidei, quæ ad eos concurrat, non immediate, sed mediis aliis virtutibus. Confessio verò fidei dicitur actus elicitus fidei, quia immediate, & sine interuentu alterius virtutis ad eum concurrat propter suum proprium motum, & honestatem propriam confessionis. Alij tamen appellant eam actum imperatum, quia nomine actus eliciti intelligunt eum solum, qui fit immediate ab habitu talis virtutis, quo pacto confessio fidei non fit immediate ab habitu fidei intellectuali, nec etiam ab habitu piæ affectionis, sed à potentia executiua externa, quæ ad imperium piæ affectionis producit voces, vel formas characteres externos. Sed hæc, ut dixi, est questio de nomine, & loquendum est cum multis, cum de re ipsa nulla sit dissensio.

Inferitur secundo, posse confessionem fidei imperari ab aliis virtutibus præter fidem, quatenus potest earum honestatem participare altem extrinsecè verb. grat. à veracitate, si quis fidem internam fateatur, ut verba menti conformet: quo casu posset confessio fidei appellari actus elicitus veracitatis in sensu supra explicato. Nec video, cur Hurtado ubi supra §. 9. teneat concedere, confessionem fidei pertinere per se ad veracitatem. Nam licet possit etiam per se pertinere ad fidem, seu ad piam affectionem; poterit etiam per se pertinere ad veracitatem quatenus est conformitas honesta verborum cum mente. Sicut etiam ieiunium debitum ex voto potest per se pertinere ad religionem, quia est res Deo promissa, vel etiam ad temperantiam. Ratio enim, & regula generalis hæc debet esse, quoties actio amatur propter vnā honestatem, ad quam deseruit media alia honestate, quam in se habet, tunc dicitur esse actus imperatus ab aliena virtute, & transferri in aliam virtutem non sibi propriam, ut quando elemosyna imperatur à penitentia; tunc enim prius attenditur honestas propria elemosynæ, & hæc eligitur virtutis ad satisfaciendum Deo, & eum placandum, quæ est honestas penitentia. Quando verò non amatur vna honestas propter aliā, tunc dicitur esse actus elicitus, & proprius illius virtutis, ut cum misericordia vult elemosynam, non vult honestatem elemosynæ propter aliam honestatem. Cum ergo veracitas possit velle confessionem fidei, non propter cultum diuinæ auctoritatis, sed solum propter conformitatem verborum cum mente, quæ honestas reperitur per se, & immediate in fidei confessione, consequens est, ut possit pertinere per se ad virtutem veracitatis.

Potest tamen per accidens, & indirectè pertinere ad alias virtutes ut fatentur Suarez dist. sect. 1. num. 7. & cum aliis Granado tract. 1. sect. 1. num. 1. & alij communiter. Potest etiam imperari

imperari à religione, quia est cultus externus Dei: potest imperari à charitate, quia placet Deo, vel quia augeat gloriam Dei extrinsecam. Potest etiam imperari à Pœnitentia, quia deferuire potest ad placandum Deum: potest imperari à misericordia spirituali erga proximos, quia potest deferuire ad eos instruendos, & docendos, & sic de aliis virtutibus excogitari potest.

17 Infertur tertio, decisio alterius etiam dubij, an *As idem sit* idem sit habitus in voluntate, qui imperat, & vult assensum internum fidei, & qui imperat, & vult actum externum, seu fidei confessionem. Alii enim quos refert Granado *vbi supra* n. 3. dicunt piam affectionem completi duas partes specie incompleta distinctas ad illa duo munera, ex quibus constat integra virtus pie affectionis ad fidem; & Hurtado *vbi supra* §. 10. in fine fatetur, posse facillime defendi, quod sit virtus diuersa, quæ imperat confessionem externam, habens pro obiecto formali honestatem peculiarem confessionis externæ, quæ distincta videtur esse ab honestate assensus interni.

18 Hanc sententiam cuiuscunque sit impugnatur Granado *vbi supra*, quia in reliquis virtutibus nemo dicit, esse duas partes, vnam ad actum externum, alteram ad internum, v.g. vnam partem habitus charitatis, quæ inclinat ad amandum Deum, alteram ad manifestandum exterius hunc amorem. Hoc tamen argumentum parum est efficax, imo retorqueri potest, quia si volumus manifestare amorem Dei exterius, & hoc propter gloriam, quæ inde resultat Deo, certum est id fieri ex eodem habitu charitatis, quia motium formale est idem nempe bonitas Dei, quem amamus per actus internos, ratione cuius bonitatis ei volumus bonum extrinsecum, & gloriam, quæ ei resultat ex manifestatione nostri amoris. Hæc autem ratio non militat in confessione externa fidei, cum possit esse diuersum motiuum volendi credere Deo, & volendi manifestare exterius nostram fidem internam sicut potest esse diuersa honestas vtriusque actus. Si vero manifestatio amoris Dei non fiat propter Dei gloriam, sed propter alium finem, & propter honestatem propriam talis manifestationis, tunc negabunt aduersarij procedere ab habitu charitatis, prout expresse negat Hurtado *vbi supra* §. 8. manifestationem externam voluntatis constituendi procedere ab habitu iustitiæ, vel esse actum iustitiæ. Exemplum etiam aliarum virtutum non est ad rem: certum enim est, voluntatem dandi eleemosynam, & actionem externam, quæ datur, procedere ab eodem habitu misericordiae, quia datio externa procedere debet à voluntate interna dandi, quare non potest habere aliud motiuum, nisi quod est motiuum illius voluntatis: at vero confessio fidei externa non procedit à voluntate sola credendi, cum sint diuersa obiecta & possimus velle fidem internam non volita confessione externa, vnde non potest ab eo ad alium argumentum desumi; imò retorqueretur, vt dixi argumentum aduersus eum auctorem, quia ipse fatetur, potuisse esse duos habitus, & duas virtutes specie saltem incompleta distinctas, quarum vna versetur circa honestatem solam actus interni fidei, & altera solum circa honestatem confessionis externæ, quod tamen de aliis virtutibus concedi non potest, nec potest dari virtus misericordiae, quæ inclinet solum ad actus internos volendi dare eleemosynam, & non inclinet eo ipso ad eam dandam, & idem est de virtute iusti-

tiae, & temperantiæ &c. non potest ergo quoad hoc deferuire exemplum cæterarum virtutum, in quibus idem habitus inclinat ad actus internos eiusdem virtutis.

Aliunde ergo ratio peti potest ad probandum, vnum esse habitum voluntatis ad imperandum assensum internum, & confessionem externam fidei loquendo saltem de habitu infuso: & in primis mihi satis verisimile est, has duas voluntates posse esse specie diuersas, quia possunt tendere ad honestatem propriam assensus interni, vel propriam confessionis externæ quas esse inter se specie diuersas, videtur colligi ex diuersitate peccati contra assensum internum, vel peccati solum contra confessionem externam, quæ videntur esse specie diuersa, & explicanda in confessione, nec enim videtur sufficere dicere *peccati contra fidem*, sed debet explicari, an habuerit assensum internum; quare vtraque obligatio videtur specie diuersa, & per consequens actus versantes circa eas obligationes, vt tales sunt potuerunt esse specie diuersi, quo argumento in simili videtur Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. c. 4. n. 8.*

Adde tamen, posse etiam vtramque voluntatem esse eiusdem speciei, quia potest voluntas imperare assensum fidei internum non propter honestatem propriam illius, sed præcisè propter reuerentiam debitam vt sic diuinæ veracitati, & auctoritati per cultum intellectualem exhibitur, vel manifestatum: quæ ratio præcindit ex se à reuerentia per assensum internum, vel per confessionem externam fidei; propter quam eandem rationem reuerentiæ potest voluntas velle confessionem externam: quo casu, cum idem sit motiuum vtriusque voluntatis, non apparet, vnde specie distinguantur, quia obiecta materialia volita diuersa non sufficiunt, vt suppono, ad differentiam specificam inter eiusmodi actus. Hic autem est fortasse communis modus volendi eos actus, vt non intendat formaliter voluntas honestatem propriam, & infimam talis reuerentiæ, vt talis est, sed honestatem reuerentiæ debitæ erga diuinam veracitatem, & auctoritatem. Sicut nec religio intendit formaliter, communiter loquendo, honestatem individualem, quæ est in genueflexione, vel in capitis inclinatione, sed honestatem præcisè adorationis; nec pia affectio intendit formaliter, communiter loquendo, honestatem credendi talem articulum propter talem reuelationem, sed honestatem præcisè credendi reuelata propter Dei reuelationem, ad quam honestatem reliqua omnia materialiter se habent, & non intenduntur formaliter.

Denique addo, licet possint, vt dixi, fieri voluntates specie diuersæ circa assensum internum, & confessionem fidei externam, non ideo ponendos esse habitus infusos distinctos ad eos actus: quia vna, & eadem virtus infusa simplex potest extendi ad eos omnes actus, quando inuenitur proportio, & conuenientia sub eodem motiuo principali. Sic enim loquendo de habitu religionis, idem Suarez *dist. c. 4. dist. n. 8.* fatetur differre specie voluntatem mouendi, & voluntatem soluendi votum, & voluntatem iurandi, & n. 11. exemplum ponit in voluntate offerendi sacrificium, quæ specie differt à voluntate iurandi: & tamen postea *lib. 3. c. 8. n. 9.* dicit, vnicum esse habitum infusum virtutis religionis ad eos omnes actus: quia habitus infusus, non acquiritur per actus, sed est quasi potentia quædam, quæ facilius ad-

19

20

21

mittit specificā distinctionem in suis actibus. Infunditur autem, inquit, hæc virtus religionis per se primò ad dignè, & cum debita reuerentia tractandum omnia, quæ ad exhibendam Deo seruitutem illi debitam ratione suæ excellentiæ & supremi dominij pertinent in quo obiecto, & sine videtur esse sufficiens vnitas, vt virtus ipsa vna sit. Maximè quia tota illa varietas, quæ est in actibus huius virtutis, habet connexionem quandam ratione vnitatis diuinæ excellentiæ, quæ tota in quolibet illorum actuum semper attenditur. Hæc Suarez, quæ omnia eodem modo & facilius applicari possunt ad casum nostrum, nam habitus etiam piæ affectionis per se primò infunditur ad exhibendam reuerentiam debitam diuinæ veritati, & auctoritati in dicendo, in quo obiecto, & sine est sufficiens vnitas, vt ipsa virtus vna sit, cum omnes eius actus habeant connexionem quandam ratione vnitatis veritatis diuinæ, quæ, & cuius excellentia in his omnibus actibus semper attenditur, præsertim cum multò plures actuum differentiæ sub religionis virtute continentur, quàm sub habitu piæ affectionis, sub qua solū ponimus voluntatē assensus interni, & confessionis externæ. Confirmari autem potest ex iis etiam, quæ diximus supra disp. 1. nempe ipsos assensus fidei omnes pertinere ad eundem habitum fidei infusum intellectualem, licet reuelationes actuales, quibus nituntur, videantur aliquando esse specie diuersæ: quia nimirum manet adhuc vnitas sufficiens ex parte vnus, & eiusdē veritatis diuinæ, quæ est nobilius motiuum, & attingitur idem per omnes fidei assensus. Sic ergo idem erit habitus in voluntate ad volendum cultum veritatis diuinæ siue internum, & intellectualem, siue vocalem, & externum; quia licet cultus ipsi videantur esse diuersi, veritas tamen diuina, cuius excellentia attenditur, & cuius cultus, & reuerentia intenditur, eadem est, & per omnes eiusmodi voluntates attingitur.

Hæc dicta sunt de vnitate habitus infusi piæ affectionis, nam de habitu acquisito, qui per actus generatur, & ad similes solum actus inclinatur, aliter dicendum est, posse de facto vnicum habitum ad vtrumque cultum volendum deferuire, si motiuum non sit honestas propria assensus interni, vel confessionis externæ, sed honestas, vt sic reuerentiæ erga diuinam veritatem: posse etiam esse habitus distinctos, si non intendatur honestas illa ita abstracta, sed prout est propria huius, & illius cultus erga diuinam veritatem. Vide, quæ dixi in simili de habitu acquisito in ordine ad adorationem, & cultus diuersos disp. 34. de Incarnatione sect. 1. num. 20. ne iterum eadem repetamus.

23 Infertur quartò non omnia verba aut signa externa, quibus quomodocumque significatur fides interna, esse actum fidei, neque è contra verba omnia, aut signa, quibus quomodocumque manifestatur error, aut dissensus internus circa fidem, sunt propriè actus infidelitatis. Prima pars probari facile potest ex dictis, quia confessio externa in tantum est actus fidei, in quantum ordinatur ad reuerentiam diuinæ veritatis, & auctoritatis, vt diximus: si ergo aliquis in suis verbis eiusmodi reuerentiam diuinæ veritatis nullo modo intendat, sed solum mentem suam manifestare amico interroganti, tunc verba illa non habent honestatem fidei externæ, cum nō procederent ex voluntate, & intentione colendi di-

uinam veritatem, sed ex alio fine.

Secunda pars explicari, & probari potest in eo, qui concilij, & instructionis petende gratia manifestatur confessariò suam hæresim internam, & se non credere præsentiam Christi in Eucharistia v.g. vel quid simile, & hoc non dicit ad affirmandum exterius errorem illum, sed præcisè ad manifestandam suam mentem, & statum suum manifestationem interni erroris eo casu non esse. peccatum externum infidelitatis, vel hæresis, nec ideo incurri hæresim, docent Simancas, Perez, & Victoria: quos affert, & sequitur Henriquez lib. 3. de Penitentia cap. 21. num. 4. littera S. in margine: & idem dicunt Couarruuias, Gutierrez, Sayrus, Azor, Aragonius, Sa, Azuendo, & Cordoba, quos affert, & sequitur Sanchez lib. 2. in decalogum capite octauo, numero 19. & 20. qui cum aliis addit, id verum esse, etiam si non solum dicat, se antea in ea hæresi interna fuisse, sed etiam nunc esse, & licet de peccato illo non doleat, nec dicat animo acquiescendi Ecclesiæ, si tamen animus ille non manifestetur, sed solum animus petendi concilium, & instructionem, ac remedium. His denique accedit Hurtado infra diff. 83, sect. 3. §. 2. & sequentibus.

Ratio autem à posteriori esse potest, quia actio illa bona & honesta esse potest, nam supponit, quod habeas illum errorem in corde, bonum & honestum est querere consilia, & remedia ad eum excutiendum; sicut, & qui habet desiderium turpe contra castitatem, laudabiliter illud manifestat suo Patri spiritali, vt remedia querat aduersus tentationem, sub qua turpiter iacet. Non ergo prohibetur pœnis & censuris ab ecclesiis id, quod ex suppositione peccati interni laudabile & desiderabile est; hoc enim esset præcludere viam remij querendi, nam valius quod ignorat medicina non sanat.

Ratio à priori difficilius redditur, cur ea confessio erroris interni non sit contra reuerentiam debitam diuinæ veritati, & per consequens contra virtutem fidei. Omnis autem alius, quæ apud dictos auctores videri possunt, petenda videtur, ex iis, quæ indicavi disp. 23. de Penitentia sect. 4. & alibi, vbi aduertit, omnem propositionem, & loquutionem vocalem, aut externam significare immediatè mentem loquentis, & mediatè, seu indirectè obiectum, quod affirmatur, vel negatur. Quando v.g. dico Petrus est in foro, directè, & immediatè significo, & manifestè iudicium, quod habeo, vel quod fingo me habere de existentia Petri in foro; mediatè verò, & indirectè significo Petrum esse in foro, quod tamen aliter significare non possum, nisi significando directè iudicium, quod habeo de tali obiecto. Quamuis autem directè, & immediatè significem solum meum iudicium, & mediatè & indirectè eius obiectum, nempe Petrum esse in foro; hoc tamen vltimum solum dicor simpliciter, & absolute testificari, & affirmare; quia testificari & affirmare est confirmare aliquid meo testimonio, seu me ipsum in testè adducere alicuius veritatis, cui quasi subscribo, & interpono meam auctoritatem: ego verò non adduco me in testem mei iudicij de existentia Petri in foro, nec illud iudicium testor, aut confirmo, quia ad hoc necesse esset significare iudicium aliud quod habeam de illo iudicio, quo iudicio reflexo, testificaret de illo iudicio directè; solum ergo significo, non testificor.

testificor iudicium directum, quo iudicio confirmo veritatem existentiae Petri infero, & hoc est illam veritatem testificari interponendo meam auctoritatem, & scientiam ad illam confirmandam & roborandam, & hoc modo ei veritati subscribo, quod nihil aliud est, quam me auctorem & testem scribere, & hoc denique est illam veritatem affirmare exterius, id est, mea auctoritate, & testimonio firmare. Quod idem cum proportionem de propositionibus negatiuis intelligi debet, ex quibus hoc ipsum magis declaratur; nam in propositione vocali negatiua, qua nego Petrum esse in foro, significo etiam meum iudicium internum negans Petrum esse in foro, non tamen nego villo modo illud iudicium, sed solum Petrum esse in foro, cuius falsitatem meo testimonio, & iudicio confirmo, & cuius me testem facio, & cui meam auctoritatem interpono. Significo ergo iudicium meum, & nego solum eius obiectum. Sic etiam in propositione vocali affirmatiua significo meum iudicium, testificor tamen solum eius obiectum, quod etiam solum meo testimonio confirmo & affirmo. De hoc tamen dicemus latius *infra hac ead. disp. sect. 5.*

26 Hinc iam videtur explicari malitia propositionis externae, quae directè res fidei aliquis negat, vel contrarium affirmat: assert enim se ipsum in testem falsitatis fidei, vel veritatis contrariae, quam suo testimonio directè confirmare, & roborare intendit, suam ad hoc auctoritatem interponens: quae sine grauissima diuinæ auctoritatis irreuerentia fieri non possunt, cum etiam inter homines grauis offensa existimetur, si aliquid affirmanti contradicas, & obiectum contrarium testificeris, & tuo testimonio confirmes. A fortiori ergo grauissima erit irreuerentia Deo aliquid reuelanti, & testificanti testimonium nostrum opponere, & nosmetipsos in testes falsitatis diuini testimonij affecte, prout facit, qui exterius fidem negat, vel contrarium affirmat.

17 Quando verò aliquis non solum significat, sed affirmat etiam, & testificatur suum solum dissensum internum circa res fidei, aliter se res habet: tunc enim obiectum affirmatum & testificatum non est falsitas articuli fidei, sed dissensus interius: significatur autem immediatè, & directè aliud iudicium reflexum, quod habemus circa ipsum dissensum rerum fidei; Vnde quando dicis, *ego interius non credo Trinitatem, vel credo esse falsum*; sensus est; ego scio me habere dissensum internum circa Trinitatem: atque adeo testificaris non falsitatem Trinitatis, sed existentiam tui dissensus interni, quam existentiam tuo testimonio confirmas, de Trinitate autem, vel eius negatione nihil affirmas, aut testificaris, & per consequens non contradicis Deo, quia Deus affirmat Trinitatem, tu affirmas dissensum tuum internum circa Trinitatem; quæ duo non sibi contradicunt, nec aduersantur. Vnde peccas quidem habendo illum dissensum internum; ex suppositione tamen, quod illum habeas, laudabile aliquando erit, & honestum dissensum illum, & peccatum interius manifestare exterius ad petendum remedium, cum per hoc non affirmes, vel testificeris, nisi id, quod verum est, & quod Deus ipse scit esse verum, & quod non repugnat existentiae Trinitatis, quam Deus affirmat, & testificatur.

Potest autem hæc eadem differentiae ratio aliter explicari: quia nimirum, qui loquitur, inten-

dit suam mentem audientibus communicare, ut quantum fieri possit eandem mentem cum ipso habeant. Vnde, qui affirmat, Patrem esse incarnatum, intendit communicare hanc suam mentem & hoc iudicium de Incarnatione Patris, ut auditores idem iudicent; cum autem iudicium illud erroneum sit, & in materia grauissima non potest licitè intendi eius communicatio. Qui verò solum affirmat reflexè suum assensum non intendit communicare mentem suam circa Incarnationem Patris, sed mentem suam, & iudicium circa assensum suum de Incarnatione Patris; quod quidem iudicium verum est, cum verè iudicet, se habere assensum de Patris Incarnatione, atque adeo per talem loquutionem mentem solum veram intendit communicare.

28 Circa hoc tamen duo sunt aduertenda. Primum est, quando aliquis dicit: *Ego habeo dissensum Trinitatis, seu ego credo falsum esse articulum Trinitatis*, licet his vocibus possit velle affirmare & testificari solum suum dissensum internum, & nihil testificari, vel negare de Trinitate; frequenter tamen easdem voces vsurpari solere ad loquendum de ipsa Trinitate: nam sicut confessio fidei externa fieri solet per voces, quæ videntur reflexæ, dicendo verbi gratia. *Ego credo Trinitatem personarum*, ita negatio fidei frequenter solet per similes voces, quæ videntur reflexæ, dicendo v.g. *Ego non credo Trinitatem*, vel, *ego apud me habeo, quod non sit Trinitas*. Nam licet hæc, & similes voces videantur secundum sonum reflexæ, & quod significant iudicium reflexum de dissensu directo interno, quem solum dissensum videntur affirmare: sed tamen easdem voces ex communi hominum usu vsurpari frequentissime solent ad loquendum de ipsa Trinitate v. gr. & ad illam affirmandam, vel negandam. Quare si hac intentione proferantur, non est dubium, quod erit peccatum externum infidelitatis, & hæresis sufficiens ad incurrendas censuras, & alias pœnas. Quod etiam comprobatur communis hominum sensus, qui æque offenduntur, & æstimant sibi exterius etiam contradicere, si illis aliquid testificantibus, alius dicat, *Ego apud me habeo, id falsum esse, vel ego contrarium credo verum*. Vtimur enim hac formula verborum reflexa elegantiae vel modestiae causa, cum tamen animus sit directè contradicendi, quo sensu verba illa communiter ab audientibus accipiuntur.

29 Secundum aduertendum est, licet ille, qui eiusmodi verbis solum intendit affirmare, & testificari dissensum suum internum, non neget directè veritatem articuli, nec eius falsitatem testificetur formaliter, adhuc hoc ipsum regulariter opponi virtuti fidei, & esse posse peccatum infidelitatis externum, nisi circumstantiæ sint tales quæ excusant ab ea indecentia, eo quod loquutio illa magis procedat ex affectu erga fidem, quam ex irreuerentia contra ipsam. Porro adhuc eiusmodi manifestationem meram dissensus reflexam continere malitiam grauem contra fidei debitum, probari potest, quia si eam non contineret, posset fidelis interrogatus à Tyranno de sua fide eam hac via occultare sine peccato graui: nimirum nihil asserendo de veritate, vel falsitate fidei, sed solum affirmando, se habere internum dissensum vel se eam in corde non credere, quo respectu proculdubio Tyrannus contentus esset, & fidelis vitaret imminentem sibi mortem. Nemo autem

dice

SECTIO II.

Quale sit præceptum non negandi exterioris fidem.

dicet, posse responsum illud eo casu dari sine grauissimo contra fidem peccato: fatendum ergo est, reperiri malitiam, & irreuerentiam grauem contra fidem in manifestatione, & testificatione etiam reflexa dissensus, & infidelitatis internæ, saltem nisi aliunde ex reuerentia erga eandem fidem excusetur. Ratio autem est, quia illa testificatio reflexa de dissensu, saltem indirectè, & arguitur præiudicat diuinæ auctoritati, nam licet non dicas, esse falsum, id, quod fides docet, nec eius veritatem neges, fateris tamen te eam interiorius negare. Quare haberes te, sicut doctor, qui rogatus approbare opinionem aliquam, vel ei subscribere diceret, ego sanè apud me eam veram existimo, nolo tamen propter reuerentiam Auctoribus contrariæ sententiæ debitam hanc meo calculo approbare, vel docere, aut inter eius auctores annumerari; ex quo respondendi modo iis, qui interrogant, licet non posset dicere approbatam ab eo doctore fuisse illam sententiam, posset tamen dicere esse iuxta eius mentem, & sensum. Sic ergo possumus hoc saltem dicere, quod fidei articuli sint contra tuam mentem, & sensum, licet eos reprobare non velis, nec contraria dogmata affirmare, quando de eorum veritate, vel falsitate nihil vis asserere, sed solum de tuo interno sensu. Negari autem non potest, hunc ipsum respondendi modum esse contra reuerentiam fidei debitam, & iuxta tanti momenti continere grauissimam irreuerentiam.

Dixi tamen, nisi circumstantiæ sint tales, quæ excusent ab eiusmodi indecentia. Excusatur enim ut dixi, quando ipse modus manifestandi, & testificandi reflexè solum dissensum internum ostendit, id non fieri ex auestione, sed potius ex affectu & reuerentia erga fidem, nempe ad querendum consilium, & remedium, ut tollatur dissensus, qui manifestatur, & ponatur assensus qui queritur: huiusmodi enim interrogatio, & manifestatio, licet supponat irreuerentiam internam, & dissensum illicitum, non tamen addit novam irreuerentiam, sed potius minuit; cum non fiat ad contradicendum Deo exteriori, sed ex suppositione dissensus interni melius sit illum manifestare ad eum expellendum, quam obstinato corde retinere, quare in iis circumstantiis magis Deo placet quam displiceat talis manifestatio, quæ humilitatem aliquam & reuerentiæ desiderium ostendit. Hinc autem à fortiori sit, manifestacionem dissensus merè præteriti, & ut præteriti non reddere aliquem hæreticum externum, cum non significet hæresim præsentem internam, sed præteritam, quæ ut præterita non potest integrare hæresim præsentem cum manifestatione præsentis & multo minus, quando id fit in confessione Sacramentali ad confitendum peccatum præteritum alioquin semper hæresis interna esset reservata, cum non possit confessarius eam audire, quin eo ipso facta sit externa & afferat censuram Pontifici reservatam. Videatur Hurtado ubi supra §. 30. qui tamen addit, si neque hæresim præteritam reuocauit, nec se eam reuocasse significat, fieri hæreticum externum per illam manifestationem hæresis externam; quod ego intelligo, quando verba externa possent aliquo modo manifestare statum habituales internam præsentem: alioquin non videntur manifestare exteriori, hunc esse nunc hæreticum, sed fuisse olim hæreticum internum.

DVplex est præceptum alterum negationum non negandi fidem; alterum affirmationum illam positivè confitendi, illud obligat semper contra Hellesitas, & alios hæreticos, quos refert Valentia, in præsentis quæst. 3. puncto 2. & Suarez in 2. disp. 1. 4. sect. 1. & constat ex Matth. 23. 10. qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo. ubi adverte ex Augustino, in ill. 11. in Ioan. non solum negari Christum, quando aliquis quis dicit, Christum non esse Deum, sed etiam quando negat se esse Christianum vel eius discipulum. Petrus enim non negavit Christi divinitatem, sed negavit se eius discipulum, & tamen grauissimè peccavit, non solum ob perurium in tertia negacione adiunctum, sed etiam ob simplicem negationem duarum priorum. Iuxta Sanctorum Patrum in huius dogmatis confirmationem vide apud Suarez, ubi supra, & lib. 6. ad Regem Angliæ c. 9.

Solent probari malitia huius negationis, qui qui negat fidem consequenter dicit Deum esse fallacem, qui eam revelavit. Hæc tamen ratio non videtur firma. Primum, quia ille simul negat esse à Deo revelatam, & per consequens adhuc concedit Deum esse summè veracem. Deinde, quia posset dicere, se ahuc non esse Christianum, quia nunquam ei proposita sunt fidei mysteria, & motiva, ad credendum; ex eo autem quod mihi non sint proposita fidei motiva, non sequitur ipsam non esse veram; ergo negare me Christianum solum esset tunc mendacium leve.

Melius probatur ex obligatione, quæ servus Christi tenetur non erubescere iteri Dominum suum; est enim dedecus Domini, quod servus dedignetur eum pro Domino latere; nam eo ipso negat illi debitum cultum; quare cum hæc obligatio tanto sit maior in creatura ad creatorem, obligat etiam cum vitæ periculo; ideo Christiani, cum confirmantur, accipiunt in fronte signum crucis: ideo enim Lucas 9. hanc negationem debiti honoris nomine erubescentiæ de sua doctrina appellavit dicens: qui me erubuit, & meos sermones hunc filius hominis erubescet. Dices: ergo etiam erit mortale, si Sacerdos, vel religiosus metu mortis neget se esse Sacerdotem, vel religiosum. Aliqui concedunt sequelam, quia hic etiam erubescit statum perfectionis Christianæ. Sed Sanchez ubi supra n. 10. & Suarez n. 11. cum aliis negant quod secluso scandalo verum videretur. Probant, quia ex hoc non videtur negare fidem, nec sequitur fidem esse falsam. Verum hæc ratio iam supra reiecta est. Melius probatur. Quia adhuc negato sacerdotio, vel statu religioso possum profiteri me Christi servum, & discipulum, quod verò negem tale, vel tale genus obsequij, & famulatus, non est gravis iniuria Dei. Alioquin etiam peccaret mortaliter sæcularis, qui ob veritatem negat amicis se habere votum castitatis, & religionis, quod est omnino falsum. Unde inferret etiam posse negari quod Missam celebraverit, vel audierit, ut notat Suarez n. 11. propter eandem rationem.